



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 14. De cæteris rebus per Guairaniam gestis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

spineta repens, tamdiu facie luto & sanguine foedatâ processit, donec ad proxima fluvii loca pervaderet: ibi dum ex longinquo remos agitari audit, credidit ex adverso se ab parricidis peti: igitur, renovatâ Martyrii spe, eò se contulit, unde strepitus remigantium audiebatur; ad quos cum pervenisset, reperit esse feniculos duos ex amico pago ea de causâ illic progressos, quòd Ruifium periclitari cognovissent, & suâ ope indigere. Nec dubitatum coelesti impulsu id factum fuisse: nam duarum horarum spatio duo hi feniculi, adverso flumine, tantum iter confecerant, quantum laceratosi remiges integro die vix percurrissent. Eorum cymbâ vectus secundo flumine ad Villaricâ pagos & Salazarium pervenit. Interim parricidâ, rebus quas Ruifius secum attulerat, & Sacrificii portatilis instrumento, inter se divisit, nefandas epulas, affatis devoratisque Neophytorum cadaveribus, instituere, unâ re mœsti, quòd nec Sacerdotis carnes vorare, nec ex coronato cranio triumphalis convivii vinum libare licuisset. Defunctus periculo Ruifius Didacum Salazarium in Villaricâ Neophytorum oppidis, Sacerdote destitutis, eo præsertim sine perseverare iussit, ut captatis occasionibus Tâiaobâ populorum animos beneficiorum continuatione Societati conciliare conaretur. Quamquàm per sesquiannum omnis diligentia frustra fuit, Antrophagis pervicaciter amicitiam respicientibus, & in Salazarii necem non semel intentis.

RUISIUS per eadem discrimina reflectens iter, Divi Xaverii novum oppidum grandi Catechumenorum numero Josephi Cataldini industriâ auctum reperit. Mox continuato labore veteres Neophytorum colonias revisens, cognovit multa præter ordinem contigisse: nam Indorum turbam extra oppidum iter habentem tonitruorum tempestas cum excepisset, & in eam Barbari duo recenter reducti lasciva verba petulanter fuissent proiactati, fulmine cinerati documento fuere, quàm non impunè instrumenta minantis Dei rideantur. Casiquius potens, Religionis Christianæ tædio, numerosam Neophytorum catervam ex oppido eductam, dum ad Ethnicorum terras secum traducit, transfugii pœnas invenit: nam Ethnici imbelli turbâ in servitutem redactâ, transfugas omnes virilis ætatis hostiliter trucidarunt. Alter Indus, libertatis antiquæ desiderio, ex oppido etiam fugiens, & in fugâ asserens postquam è Patrum consortio se eripuisset, videri sibi ex inferno abiisse, fulmine tactus meritis procacitatis pœnas luit. Laureti crux templo superposita eo die fulmine deflagavit, quo cognitum est, factum ex vago concubitu conceptum, ab mulierculâ fuisse suffocatum. Quibus rebus nunciatis, transfugii horror, & Religionis castitatisque amor, omnium animos utiliter occupavit.

RIOCA, Hispanorum urbs, circa id tempus Societatis sedem accepit. Hanc urbem ante triginta circiter annos Joannes Ramires Velasus, Tucumania Prætor, ideo fundaverat, ut aliquot Indorum millia in amicitiam recepta in officio contineret, optaratque ad novæ colonie stabilitatem, assignato fundo & agro, Societatis domum in eâ erigere. Sed tamdiu, ob defectum Sociorum, negotium dilatum est, donec auctis rebus Joannes Quiniones, Tucumania item Prætor, agrum octodecim aureorum millibus æstimatum cum duodecim mancipiis testamento legaret: & urbs alia pecuniarum levamenta offerret: quibus subsidiis incepta sedes brevi jus Collegii, non sine magno civium & latè sparsorum Indorum emolumento, indepta est. Societate arbitrâ, Tucumania Prætor & Episcopus, notabili Reipublicæ gaudio, mutuas dedere manus, indices redintegratæ pacis ab utroque violatæ. Cordubæ Societatis tyro, honestissimis in Hispaniâ ortus parentibus, dum janitorem agit, fasciculum litterarum sibi ex Europâ transmissum inconsulto Rectore clam, præterquam nostræ leges imperant, referavit, cognovitque ex sororis epistolâ ad amplam hæreditatem se vocari: Quâ re diu occultatâ, tandem dæmoni suadenti acquiescens, desertâ Societate, promisso constantibus religionis æterno præmio caduca bona antehabuit. Hæc domi: foris verò Divina clementia præter ordinem, nescio quem Europæi sanguinis hominem in fide vacillantem jovit. Dubitabat is, num verè Corpus Christi in hostiâ consecrata esset.

Periculo eripitur.

Corpora occisorum devorantur.

Didaci Salazarii constantia.

CAPUT

XIII.

De cæteris rebus per Guairaniâ gestis.

Tonitruum irrisores cinerantur.

Transfuga maculantur.

CAPUT

XIV.

Riocensis Collegii inchoata & gesta per Tucumaniam narrantur.

1624.

Religiosa legis infractor Societatem deserit.

In fide dubitans confirmatur.